Piæ Lacrymæ,

Qvibus

Funus

Rectoris de se immortaliter meriti,

VIRI

Amplissimi atqve Excellentissimi

DN. JACOBI THOMASII,

Eloqventiæ Prof. Publ. longè celeberrimi, Facult. Philos. Senioris, Academiæqve Subsenioris & Decemviri, ut & Colleg. Min. Princip. Collegiati,

Ipso exeqviarum ejus die, qvi erat XIV. Septemb.

proseqvitur

Totus Alumnorum Scholæ Thomanæ Cœtus.

LIPSIÆ,
Literis CHRISTOPHORI GUNTHERI,
ANNO M DC LXXXIV.

CUm vox de Dominô facta eſt
mœſtisſima raptô,
Ora ſtatim lachrymis humida facta piis.
Qvodqve nefas dictu, fatis iratus iniqvis
Ex irâ cœpi vel maledicta loqvi.
Nec qvicqvam ad noſtras pervenit acerbius
aures,
Ut ſumus in ludo hoc, perveniatqve precor.
Ante meos oculos tanqvam præſentis imago
Hæret, & extinctum vivere fingit amor.
Sæpe refert animus doctas ſvavesqve loqvelas,
Qvas calidus toto fecit amore die.
Nulla tamen ſubeunt mihi tempora denſius iſtis,
Qvæ vitam vellem ſemper habere meam.
Mellea cum mentem formarent verba docentis,
Parnasſi donis imbuerentqve caput.
Adfuit ille mihi, me qvando Thalia regebat,
Adfuit ille mihi, cum bona noſſe datum.
Illum ego nō aliter dantem mihi commoda vidi,
Formandus qvam ſi natus in arte foret.
Sumpſit in amplexum, conſolatusq; jacentem eſt,
Sors ægrotanti cum mihi dura nocet.

O qvo-

O qvoties vitæ cuſtos in crimina promtæ
Continuit faciles in mala facta manus.
O qvoties dixit: triſtisſima numinis ira eſt,
An tantis vitiis hanc meruiſſe juvat?
Vox tamen illa fuit celeberrima: reſpice, qvantum,
Debeat Auxilium Numen id eſſe tibi,
Si misſis vitiis, habeas pietate virentem
Mentem, & per vitam, qvæ bona facta velit.
Hic Deus incumbet; qvaqve eſt virtute, parabit,
Ne ſit ad extremum ſors inimica tibi,
Cumqve ſuis nati vires adhibebit, & omnem
Qvò levius doleas, experietur opem.
Hæc effecerunt vitam mihi verba placentem.
Qvæ qvoqve ne fuerint tu dato vana Deus.
Se laudaturum qvoqve me, ſpondere ſolebat,
Qvos noſſet, claris hic & ubiqve viris.
Qvorum non alio coleret penetralia ritu,
Gentiles qvondam qvam coluêre Deos.
Scilicet in miſeris licet haud emergere terris,
Sint niſi, qvi monſtrent, qvâ licet ire, viam.
Qvi te qvid, niſi ſint, exoptent eſſe, Patroni,
Ornandis ſtudiis admoveantqve manus.
Jure viro lachrymas igitur libamus adempto,
Qvas rapto Patri ſtirps dare chara ſolet.
Carmina jure damus raras teſtantia dotes,
Pasſim ut de noſtro conſtet amore bonis.

Hoc

Hoc eſt, qvod Muſæ poſſunt tibi mittere no-
ſtræ,
Qvin etiam ſcimus, qvod damus, eſſe tuum.
Funera nec potui ditare, nec ungere corpus,
Paupertas prohibet talia ferre premens.
Qvæ potuit, qvam tu dilectam vivus habebas,
Stirps feret & conjux officium omne Tibi,
Illa tibi exeqvias & magni funus honoris
Fecit, & extinctis qvæ bona præſtat amor.
Diluit & lachrymis mœrens ungventa profuſis,
Oſſaqve vicinâ condita texit humo.
Debita qvæ qvoniam rapto dat dona Marito
Conjugis exopto ſit DEus ipſe loco.

